Universitätsbibliothek Paderborn

Homiliæ Qvadragesimales Reverendissimi D.ni P. F. Hieronymi Baptistæ De Lanvza Venerabilis memoriæ Episcopi Barbastrensis & Albarrazini, Ord. FF. Prædicatorum

Ex Hispanico idiomate in latinum perfectè fideliterq[ue] iuxta posteriorem omnium, nouamq[ue] editionem translatæ, & ab innumeris cùm S. Scripturæ, tùm SS. Patrum typographicis erroribus emendatæ ... cum triplici Indice ...

Lanuza, Jerónimo Bautista de

Antverpiæ, 1649

§.4. Miserunt ad eum. In infirmitate primo recurre ad Deum, & da locum medicos non sicut Rex Asa.

urn:nbn:de:hbz:466:1-53104

Visual Library

XVI. Hieronymi conceptus in hiſtoria Agar.: ad in-
Ob Agar matris diffidentiã deficit Iſmael, qui ob patris Abrahã fiduciam reuiuiſcit.
ſtantiam Saræ eam ædibus ſuis cum filiolo ſuo Abraham amandauit, dato illi modico pane & vtre aquæ. Defecit aqua: eſt autem regio illa arida ſupra modum & calida: puero vires deficium patiturque deliquium: eum ad vmbram arboris proijcit iam enim cor illi defecerat, & eum nullum ſupereſſet ſuccurrendi filio deficienti remedium, dolore nimio afflicta videre non potuiſſet puerum exſpirantem: vnde ſic illi ait: hic iace: *Non videbo morientem*, illa vero in alteram ſecedit partem, & in varia loca lumina deflectens attentè conſpicit, num ad hanc num ad alteram poſſit arborem reperire fontem flebatque amariſſimè. Puſio vero ſe omni remedio cernens deſtitutum emori, lachrimis offuſus Deum

In Gen. c. 21.

implorat auxiliatorem: *Exaudiuit autem Deus vocem pueri, vocauitque Angelus Dei Agar de cælo, dicens: quid agis Agar? noli timere: exaudiuit enim Deus vocem pueri.* Quod hic agnoſco myſterium? Tam effuſas Agar lachrimas non attendit Deus, & Iſmaelis attendit? ratio eſt: quod Agar ad Deum non confugerit, ingrata promiſſis, quæ primitus illi ſpoponderat. Oculos in hanc & illam coniecerat arborem, omnem ſpei ſuæ fiduciam in illis collocans; puer autem ad Deum recurrit ab ipſo remedium extremis ſuis poſtulans flendo neceſſitatibus.

Gen. 21. 17.

Quid credis, inquit Caietanus, de verbis his? textus enim non dicit quod Iſmael plorauerit priuſquam dicat quod lachrimas fuderit ad Deum conuerſus. Docuerat illum Abraham Deum & inuocare & adorare pro vt ſacra Pagina commemorat, atque vt certum creditur, ſaluatus eſt, etiam hoc indicante S. Pagina: *Et facti ſunt anni vitæ Iſmaelis centum triginta ſeptem deficienſque mortuus eſt, & appoſitus ad populum ſuum:* eadem hæc verba profert de Abraham: *Congregatuſque eſt ad populum ſuum* quod Rupertus intelligit eum Sanctis in limbo ad quorum ſocietatem delatus eſt ſicut illi, ſaluandus.

Gen. 25. 17.

Gen. 25. 8.

Perpende differentiam quoad Iſmaelem & ancillam Agar: hæc enim indicauit quod quandoquidem nullum inter homines remedium affulgeret, nullum filio ſuo ſperandum eſſet aliunde; quocirca dimiſit illum periturum, velut de diuino diffidens auxilio, & inter fiduciam Abrahæ in Deum, quam ille Iſmaeli propoſuit, ſemper vt anchoram haberet: per hanc enim ad Deum confugit & neceſſarium ſibi poſcit ſubſidium extremè laboranti: & cum in illa tam bene inſtructus eſſet à Patre ſuo Abraham accepto habuit hanc eius Deus petitionem, tam ſecurà comitatam fiduciâ; proinde exaudiuit eum Deus, cui non ſolum ea conceſſit quæ ſuſtentandæ ſunt vitæ neceſſaria, & inſuper ad tantos vitam eius extendit annos, quibus finitis eum de ſua ſalute reddit certiorem; ob matrem, quæ ſolummodo fauori fidebat arborum inter illas aquarum quærens fontes, nec Dei recordatur vt illum inuocet, puer abijcitur omnino mortuus atque ope deſtitutus. Ratione verò Patris, qui filium docuit ad Deum recurrere, & de diuinis eius manibus exſpectare ſubſidium, viuit Iſmael & ſaluatur. Videre modo licet quantò certiùs accipiat ille ſuis calamitatibus auxilium, qui recurrit ad Deum illique fidit: quàm ille, qui Dei immemor ad humanum primò confugit auxilium.

§. 4. Miſerunt ad eum. *In infirmitate primo recurre ad Deum, & da locum medicos non ſicut Rex Aſa.*

HÆc licet ita ſint, quòd omnium primò 11 ☞
pro remedi in tuis neceſſitatibus neceſſario ad eundus ſit Deus, hoc tamen præcipuè faciendum in corporis infirmitatibus: nemo non admirari debet Spiritus S. conſilium datum infirmanti: *Fili in infirmitate tua ne deſpicias teipſum ſed ora Dominum & ipſe curabit te: auerte à delicto & ab omni delicto munda cor tuum, da ſuauitatem & memoriam ſimilaginis & impingua oblationem & da locum medico; etenim illum Dominus creauit, & non diſcedat à te: quia opera eius ſunt neceſſaria.* O quam cæleſte illud eſt Recipe, multo ſanè vtilius quàm quæcunque poſſent Hypocrates, & Gallenus artis medicinæ Principes præſcribere. Primò tibi præcipit vt infirmus tui curam ne negligas, neue per incuriam moriaris vel t animal. Vt enim reprehenſibilis eſt illa quorundam anxia nimis ſollicitudo, qui ad ſolam minimi doloris in vngue vmbram, in ſtratum ſe deijciunt: ſic etiam eſt quorundam incuria, qui mortali morbo preſſi ſe ipſos ſinunt nullo adhibito remedio langueſcere, tandemque interire. Fili mi (ait Spiritus Sanctus) quando te morbus inuaſerit, tibi conſule, ne te ipſum deſpexeris vitæque tuæ conſule: *Fili in infirmitate tua ne deſpicias te ipſum.* Quid igiti hoc in caſu feceris? primò dum te ſentis languentem ad Deum recurre, illi de corde tuo orationum precumque mitte nuntios, *Ora Deum.* Vt autem tua ſit efficax oratio duo ſunt tibi facienda, primo

Eccli. 38. 8.

1. Recipe Spiritus S. infirmis obſeruandum.

Auerte à delicto & ab omni delicto munda cor tuũ:
Pſ. 65. 18. ita enim cecinit Vates Regius: *Iniquitatem ſi aſpexi in corde meo non exandiet Dominus.* Secundo extende manus tuas ad pauperes Eleëmoſynis
Leuit. c. 2. & ad Deum acceptis ſacrificijs. Hoc eſt: *dirige manus, da ſuauitatem & memoriam ſimilaginis & impingua oblationem.* Alludit ad ſacrificium ſimilæ cum odore thuris ſuauiſſimo, hoc eſt: *Da ſuauitatem & memoriam ſimilaginis*; & ad ſacrificium agni pinguioris, hoc eſt: *Impingua oblationem.*

II.
Primo ad Deum recurrendũ.

Verbis apertioribus ſic explico: quàm primum te videris infirmum: ad Deum ſit recurſus tuus & ad hoc ſtrictam tecum ſubi rationem, peccata deferantur, animam tuam ab illis expia per confeſſionem, atque in eorum ſatisfactionem, quaſdem pauperibus facito elemoſynas, tuas ad eos manus explicans liberales, *dirige manus tuas.* Hoc item procura, vt pro te ſacra celebrentur, offeranturque ſacrificia. *Da ſuauitatem &c.* quo facto. *da locum medico, etenim illum Dominus creauit & opera eius ſunt neceſſaria.* Faueat mihi Deus: cogitaueram ego primò medicum eſſe aduocandum, deinde de confeſſione de communione, de animæ diſpoſitione agendum: ſic tu cogitas, & quod peius eſt, ſic tu facis: non ita (ſuadet Spiritus S.) primò componenda eſt anima: medicus enim, medicus eſt corporis & vt huius curam ſuſcipiat, iam animæ ſanitas eſt ſupponenda: tu videris quam tibi rigidum eſſe perſuaſeris id quod Eccleſia ordinauit mandauitque medicis: vt ad infirmos euocati tertiam non inſtituant viſitationem niſi primò infirmus peccatorum fecerit exomologeſim. Breuiorem tamen adhuc moram tibi concedit Spiritus S. nimirum iniungens: vt iſtud agas priuſquam medicus aduocetur: itaque dum ille accedit, animam iam curatam inueniat, quo corporis poſſit mederi languoribus, hoc foret, ita foret, actum prudentiſſimè.

III.
Peruerſa languentium conſuetudo.

Quàm eſt hoc dolendum quòd nulla fiat mentio de confeſſione, de recurſu ad Deum, donec medici ſanatati diffidant timeantque periculum. Fierine poteſt vt dicas, Domine mi, grauiter alterabitur, ſi ſcelerum illi propoſuerimus expiationem? an ergo hominem occidit confeſſio? an ſacra communio nocet ad mortem? an aliquod eſt fantaſma quod perterret? an fera eſt aliqua beſtia quæ timorem incutit? formam loquendi valde diuinam aduerte. *Da locum medico.* Sunt nonnulli qui medico nullum volunt locum concedere etenim contra illos inſurgunt detractores aientes illos eſſe vitæ carnifices, ſanorum interfectores, quas enim mortes inferunt terra cooperit, illiſque ſoluatur quia homines interfecerunt: ſunt alij qui ex oppoſito omnem in illis ſalutis ſuæ fiduciam collocant, & ad morborum curationem locum illis tribuunt priorem. Omnes aberrant, omnes delirant & hi & illi: priores eo quod il is nullum concedant locum, medicis debitum. Atque in rei veritate
IV. Medici non reijciendum.
vult Deus vt illos aduocemus nobiſque per illos ſtudium proſpiciamus: ipſe quoque illos diſpoſuit, vt eſſent, & artem medicinæ exercerent, quam ipſe creauit, noſtriſque conceſſit languoribus opportunam: *Quoniam altiſſimus creauit de terra medicamina & vir prudens non abhorrebit illa & dedit hominibus ſcientiam altiſſimus.* Eccli. 38. 4
Omnes conſentiunt à Deo creatas herbas aliaque medicamina in terra: eſt enim adeo prouidus vt præſciens futuras in terra infirmitates, voluerit vt in illa pariter inuenirentur remedia. *Altiſſimus creauit de terra medicamina* ſic ex Græco legimus *medicamenta.* Hoc ſuppoſito prudentis non eſt illa recuſare: ſtatuens in mundo medicamenta, voluit vt eſſent medici: quorum curæ incumberet inquirere & eorum medicamentorum ſibi comparare ſcientiam, illaque præſcribere: hoc eſt quod ait: *Dominus creauit medicum & non diſcedat à te quia opera eius ſunt neceſſaria.* Sicut voluit vt eſſent Theologi & Confeſſarij, Iuriſconſulti vt illos in tuis audias litibus circa caſus bonorum fortunæ dubios: ſic etiam voluit, vt medici eſſent: quorum ſubſidio tibi valeas, in ijs quæ ad corporis tui ſpectant diſpoſitionem; quocirca vir prudens morbis langueſcens vocare debet medicum illique in rebus medices eſſe ſubiectus: ſimiliter errant illi qui priorem illis, quam par eſt, locum tribuunt: ſalus etenim non tantum ex medicamentis & medicorum prouenit induſtria, quantum ex diuina diſpoſitione, qui & medicinis efficaciam, & lucem medicis ad eorum cognitionem tribuit clariorem.

V.
Etiã aliae Sancti in hoc deliquerunt, vt Rex Aſa.

In hunc defectum multi corruunt, etiam ex illis, qui ſe Dei ſeruos profitentur, in cuius pœnam patitur Deus, vt nec medici certum quid de morbo indicent & recte conuenientia non applicent remedia. Hoc nobis ſpectandum præbet S. Scriptura in Rege Aſa cuius virtutes verbis exaggerat elegantioribus tantas, quantæ dici poſſunt, de eo laudes referens, quem prope Dauidi comparat. Audi hoc de illo teſtimonium. *Fecit Aſa rectum ante conſpectum Domini* 3. Reg. 5. 11
ſicut Dauid Pater eius, & Abſtulit effeminatos de terra purgauitque vniuerſas ſordes idolorum, quæ

fecerant

feſerant Patres eius, &c. & cor Aſa perfectum e-
rat cum Domino cunctis diebus ſuis. An dari po-
teſt nobilius de viro teſtimonium, quam illud,
quod ipſe Deus vltimis hiſce verbis comprehen-
dit: *Cor Aſa perfectum erat coram Domino cun-*
ctis diebus ſuis. Cum hæc ita ſint nos ſacra Pa-
gina monet, defectum in eo quendam fuiſſe in
cuius ſupplicium eum Deus morte mulctauit;
& quis hic? anno trigeſimo nono imperij ſui
dolor eum apprehendit pedum grauiſſimus, cre-
do fuiſſe Podagram articularem quam nouimus,
quàm acerbo dolore corpus torqueat: ad cuius
curationem ad Deum prius non recurrit ſed me-
VI. Quapropter à Deo morte punitur. dicorum iuſſit hinc inde vocari conſeſſum, ſa-
lutis ſuæ ſpem totam in illos conijciens qua de
cauſa, Deo ſic diſponente, nec illi pruden-
ter rectèque præſcripſerunt, nec ille ab infir-
mitate conualuit, quinimo accreſcentibus do-
loribus debitum ſoluit mortalitatis. *Ægrotauit*
Aſa anno trigeſimo nono regni ſui dolore pedum ve-
2. Parali. 16. 12. *hementiſſimo & nec in infirmitate ſua quæſiuit Do-*
minum ſed magis in medicorum arte confiſus eſt:
dormiuitque cum Patribus ſuis & mortuus eſt.
Notate Chariſſimi, clamat D. Paulus. *Quæ-*
Ro.15.4. *cunque ſcriptæ ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta*
ſunt.

VII. Ratio reperitur cur Ezechias libros Salomonis iuſſerit exuri. Auctor huius Scripturæ Spiritus Sanctus eſt
qui nec quidquam ſcribit, niſi ad noſtram vtili-
tatem conſilio ſingulari. Ex præmiſſis cauſam
inuenio facti alicuius mirabilis Regis Ezechiæ
pijſſimi ex progenie Regis Aſæ: hic etenim libros
combuſſit quos Salomon ſcripſerat de arte medi-
ces, in quibus virtutes animalium auium & piſ-
cium declarauerat eſtque hoc conforme illi quod
Quæſt.39. reſpondit D. Anaſtaſius Epiſcop. Nicœnus libro
habetur in quæſtionum in Sacr. Script. quibuſdam Chri-
bibliotheca ſtianis hanc illi non leuem obijcientibus difficul-
veterũ PP. tatem.
Tomo 1. Paſſim notum eſt hoc primum, quod Deus
pag.24. in terra medicamenta curandis quibuslibet dolo-
ribus creauerit efficacia: hoc notat Sanctus
Spiritus & illam repetit diuinæ prouidentiæ ra-
tionem: Cum enim noſſet mundi languores
malaque omnia, remedium his omnibus in-
ſtituit. *Omnia fecit duplicia contra malum bonum,*
Eccl.33.15 *contra vitam mors. & ſic in omnibus operibus al-*
& 42. 25. *tiſſimi: vnum contra vnum: duo contra duo: nec*
fecit quidpiam deeſſe. Et in proprijs terminis in-
tegrum de his conſcripſit capitulum illa refe-
rens: quæ ante protulimus. *Altiſſimus creauit de*
terra medicinam; Similiter in comperto eſt, quod
ipſe qui in mundo talia produxit remedia noti-
tiam eorum eſſet hominibus infuſurus, alias
paruam ſatis adferrent vtilitatem: nam obuia eſt
illa ſententia: *Sapientia abſcondita & theſaurus*
inuiſus quæ vtilitas in vtriſque? hoc ipſum faſ-
ſus eſt Spiritus Sanctus. Cum enim dixiſſet,
quòd Deus medicamenta in terra creaſſet, ad-
dit quòd voluerit vt illa homines agnoſcerent:
etenim idcirco illa produxerat: cui proinde gra-
tias referrent & pro tantis tamque mirabilibus
operibus Altiſſimum honorarent. *Ad agnitionem*
hominum virtus eorum, & dedit hominibus ſcien- Eccl.38.37
tiam Altiſſimus honorari in mirabilibus ſuis. His
conformiter nouimus quòd in rei veritate licet
aliquibus hanc inuiderit ſcientiam, verum illam
præ cæteris ampliorem infuderit Salomoni: co-
gnouit enim virtutes herbarum plantarum, ani-
malium, auium, metallorum, &c. Ipſe de ſe lo-
quatur. *Ipſe dedit mihi horum quæ ſunt ſcientiam* Sap.7.17.
veram: vt ſciam diſpoſitionem orbis terrarum &
virtutes elementorum, naturas animalium, diffe-
rentias virgultorum & virtutes radicum, & quæ-
cunque ſunt abſconſa. Confirmat hoc Spiritus
Sanctus his verbis: *Multiplicata eſt ſapientia Sa-*
lomonis & locutus eſt tria millia parabolas, & 3.Reg.4.
erant eius cantica quinquies mille & locutus eſt 31.
de lignis à Cedro quæ eſt Libano, vſque ad hyſſo-
pum, quæ egreditur ex muro & locutus eſt de pe-
coribus, & volucribus, & reptilibus, & piſcibus,
& omnibus quæ ſunt ſuper terram. Omnia nouit,
de omnibus locutus eſt, & de omnibus ſcripſit.

Nunc igitur ſi Deus omnibus creauit ægri-
tudinibus medicinas efficaces, etiam voluit, vt
earum homines haberent notitiam, alioquin
fruſtranea eſſent illamque dedit Salomoni at-
que ille eandem litterarum tradidit monumen-
tis; Quid de libris iſtis actum eſt? vbinam
ſunt? numquid hæc à Deo infuſa ſapientia? non-
ne Deus ſcribenti adfuit Salomoni? ſic eſt ve-
rè reſpondet Diuus Anaſtaſius: verumtamen
tibi reſpondebo (ait ille) ex doctrina celebris
atque illuſtris Martyris S. Hypoliti qui ſcribens
ſuper Cantica eandem obijcit quæſtionem. Om-
nes nouimus, quod Salomon tria millia parabo-
las & quinque millia cantica conſcripſerit in
quibus omnium virtutes exarauit; vbinam ſunt
illa? quatuor ſolummodo eius libros eoſque
ſatis breues inuenimus: Prouerbia, Sapien-
tiam, Cantica, Eccleſiaſten, nouerit igitur reſ-
pondet Diuus Anaſtaſius, quod Rex Ezechias
legitimus eius ſucceſſor ac nepos illos combuſ-
ſerit; fecit autem iſtud, teſte Spiritu Sancto ma-
giſtros ſcilicet quoſdam ſapientia præclariores
elegit,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

elegit, quibus confidebat iiſque in manus tradidit omnem Salomonis ſcripturam, quibus hoc ordinauit, vt ex illa ſeligerent quidquid animarum poſſet conducere profectui: cætera vero quæ curandis tantum corporibus proderant, flammis traderent exurenda: hoc inquit, eſt quod notamus in primo libro Salomonis. *Hæc ſunt prouerbia Salomonis diſcreta quæ ſcripſerunt amici Ezechiæ regis* ſic legit ille, quod noſtra vulgata ſcribit: *Hæ parabolæ Salomonis, quas tranſtulerunt viri Ezechiæ regis Iuda.* Nota inquit verbum

Prou. 25. 1 hoc: *prouerbia diſcreta*: vnde de tribus millibus illis parabolarum & quinque millibus diſcurſuum quos Salomon compoſuit: ſi vlterius inquiſieris, ait Diuus Athanaſius, qua ratione potuerit hoc agere, Rex Ezechias, cum vir eſſet, vt ſanctitate ita prudentia nemine inferior, ſi nouerit hanc doctrinam de medicamentis Deo dictante conſcriptam in hominum remedium, cur illam iuſſit exuri? reſpondebo tibi, inquit, cum doctrina Euſebij Pamphili qui reſpondet, quod hanc ob cauſam hoc fecerit: quia Rex erat pijſſimus Deique honorem zelabat ex animo: vidit autem quod progenitori ſuo regi Aſa contigerat, & quod apud fideles populi Dei erat frequentiſſimum; cum cognitas haberent infirmitatibus medicinas: his omnem fidebant ſuæ ſalutis curationem, tantumque medicis tribuebant, vt ad eos ſolummodo confugerent, Dei verò non recordarentur, non ab eo peterent ſuis in neceſſitatibus auxilium; ideirco tales libros flammis iniecit comburendos. *Libros autem Salomonis, qui ſcripti erant de prouerbijs & odis in quibus tractabatur de natura Plantarum & omni genere animalium, de curatione omnium morborum, de medio ſuſtulit Ezechias: propterea quod morborum medelas inde acciperet populus, vt nihil faceret à Deo petere curationes.* An ergo Deus hanc non aperuit ſcientiam? nunquid non ille qui hæc voluit à Salomone conſcribi? vtique, vt per hoc pateret ſua in creatione potentia eiuſque in talia nobis dando remedia liberalitas, verumtamen conueniens fuit illos ex hominum oculis auferri: quia nimium illis confidebant & minus Deo.

E. de Priſca hiſt.

VIII. Quia illis homines obliti Dei nimis cõfidebant.

Euſ. 2. Pamphi

Obuium omnibus eſt ex Dei præſcripto per Moyſen ſerpentem erectum fuiſſe æneum curandis morbis mortalibus, morſibuſque ignitorum ſerpentum remedium efficaciſſimum: nihilominus vt vidit Rex idem Ezechias, quòd populus plus iuſto illi confideret ſerpenti, atque in eum omnem ſpem ſuam conijceret, nec ad Deum, in eo ſperans, confugeret, eundem contregit redegit in puluerem: vt vero eius penitus interiret memoria, in torrentem Cedron eiuſdem demerſit reliquias.

IX. Cur Ezechias ſerpentem æneũ confregerit.

Ex his addiſce: cur voluerit Deus, vt cum tanta ſint vbique medicamina, tam pauca tamen cognoſcantur, & hæc quidem tam paruæ efficaciæ: nec non quod medici quantumuis diligenter ſtudeant, tam parum intelligant; licet enim multoties pulſum tuum pertentent in tuæ tamen infirmitatis cognitione crebro hallucinantur: nimirum vt hoc noueris, tibi præ cæteris in illa ad Deum eſſe recurrendum, primumque illi locum concedendum; deinde *da locum medico* nec Eccli. 38. 12 loca tranſmutes, eum qui Dei eſt, dans medico, & qui medici eſt, Deo tribuens. Hic variæ concurrunt Spiritus ſancti ſententiæ, quibus nobis proponit plus æquo eſſe, vt ad Deum omnium primo recurramus: *Iuſtus cor ſuum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum qui fecit illum, & in conſpectu Altiſſimi deprecabitur.* *Diluculo*, id eſt omnium primò ad Deum in oratione recurrere: hoc aſſeruit amicus ille Iob: *Si diluculo conſurrexeris ad Deum & omnipotentem fueris deprecatus, ſtatim euigilabit ad te & pacatum reddet habitaculum iuſtitiæ tuæ.* Iob 8. 5. Optimè nos docent hæ domicellæ & à Deo inſtructas ſe oſtendunt, quæ fratris languore mortali depreſſæ confeſtim ad Chriſtum recurrunt.

X. Docet nos Spiritus S. ad Deum primo recurrere.

§. 5. Miſerunt. *Decens etenim eſt, honeſtiores mulieres, velut Sara, domi remanere.*

Diuus Chryſoſtomus trutinat verbum illud, *Miſerunt*, & quærit cur ipſæ non acceſſerunt? non enim inurbaniores erant ipſo Centurione ipſoque Regulo: nec minus Chriſti Perſonam reuerebantur: illi tamen ipſi profecti ſunt: hic in filij ſui, alter in famuli ſui lethali morbo à Domino remedio flagitaturi: non erant illæ ipſa Sunamitide rudiores, quæ vatis Eliſæi quæſitura ſubſidium pro filio ſuo iam moriente, cum famulos haberet hos & alios mittendos, ipſa tamen virum Dei conuenit commota reſpectu quo prophetam venerabatur, tum, quod iudicaret incongruum alterius quam ſuæ fidere diligentiæ id à quo filij ſui ſalus curãda dependebat. Quinimo ipſe Rex Ieroboam, de cætero ſacrilegus, filium ſuum dolens infirmum & vatis Ahiæ patrocinium exoptans ſuo muneri cenſuit ſe derogaturum ſi nobilem aliquem aut famulum mitteret honorarium: quare vxori ſuæ Reginæ, filij languentis matri hoc ipſum commiſit, vt ea pergeret

14 Hom. 61. in Ioannem.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN